

tionis gratia, quique Deo tempus & modum præ-
scribunt.

§. 4. Et quoniam *genusflexio ac capitis denu-*
datio sunt communiter recepta internæ venera-
tionis & reverentiæ signa, satis decore iis in no-
stris precibus utimur.

§. 5. An vero *certis formulis* Deus invo-
candus sit, ratio non determinat, verum potius
illas preces optimas pronunciat, quas quilibet
pro suo modulo, & miseriæ, qua premitur,
ac boni, quod appetit, diversitate coram Deo
fundit.

CAP. IX.

DE LAVDE ET CELEBRATIONE DEI.

§. I.

Quod Deus sit celebrandus ejusque majestas
deprædicanda, probatur inde, quia hoc ipso
internam nostram erga ipsum *venerationem &*
reverentiam declaramus.

§. 2. Celebramus autem Deum,

I. *Si de eo semper considerate & cum testificatio-*
ne nostræ humilitatis loquimur, ut ideo minus
pium sit, de Deo ejusque perfectionibus *frivole*
disputare ac abjecte & inconsiderate loqui.

II. *Si ejus perfectiones deprædicamus & admi-*
ramur, ut proinde impium sit, *Deum blasphemare.*

III. *Si per solum Deum juramus*, ut ergo im-
pium sit, mendacium adhibito Dei nomine con-
firmare.

IV. *Si*